



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum**

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatae, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Maiestati Catholicæ Regi Et Domino Nostro D. Philippo Cognomine Magno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53012)

# MAIESTATI CATHOLICÆ

REGI ET DOMINO NOSTRO

D. PHILIPPO COGNOMINE MAGNO.

**R**EVERENDISSIMVS Episcopus F.D. Hieronymus, Baptista de Lanuza, tunc temporis Barbastrensi præsidens Ecclesiæ zelo feruens animarum & earum motus vtilitate, tres tomos composuit Homiliarum super Euangelia Quadragesimæ, quas Serenissimo Principi Sabaudia Emmanueli Philiberto obtulit, eo quod illas ex mandato præfati Principis prælo subdidisset, quem pro innata sibi benignitate non parum honorabat, & magnam illarum partem audiuit Barcellonæ declamantem.

Maiestas T. illum ad Episcopatum promouit Albarrazinum, atque in hac existens quiete, huic operi copiosos superaddidit discursus, quibus illi postremam addidit manum, & talem, vt dicere liceat opus omnino nouum recuderit: sic enim opera vocantur illa noua, quibus noua superadditur perfectio. Quandoquidem ea de causa S. Scriptura, dum de vltima mundi loquitur renouatione facienda post diem iudicij dicit: creabit Deus nouos cælos, *a* nouamque terram, imo tunc omnia innouabuntur: *b*. Non quod essentiarum sit mutanda substantia, vt dixit D. Thom. *c*. Sed quia nouam illis perfectionem, gratiam, decorem, & venustatem superaddet. Cum igitur hac noua perfectione Episcopus sua honestasset scripta; Deus illum ad vitam euocauit meliorem, antequam illa prælo subijcere ei licuisset, cumque me vnicum vtpote Nepotem suum heredem institueret, meaque curæ fideret exequiarum impensas ( etenim ex plurimis collatis ab eo in pauperes elemosynis nulla ei superfuit propria ad sepulturæ honorem facultas ) hæc vltima & eminentia calami sui & ingenij monumenta meis confirmavit

(\*\*\*)

gnauit



gnauit manibus: gratia hæc est & fauor, quo mouetur affectus, quo illa pedibus Regiæ tuæ Maiestatis aduoluo: vt in mundo locum obtineant altiore. Et quandoquidem, sic me spes alit, Maiestas tua, summo sit illa fauore dignatura: ratio suadet, vt eorum pariter & Auctoris amplio- rem demus lectori notitiam.

Fuit, Domine mi, vita talis, talenta, litteræ, scientia, virtutesque Episcopi, vt ad certiore- m eorum confirmationem sufficiat dicere, quòd Dominus ac Rex noster D. Philippus cognomento Prudens Auus T. M. (qui singulari omnino honore præclara fouebat ingenia) eum ita promouerit, vt dum Provincialis munere in hoc regno Ordinem gubernaret, eius sæpe consilium & iudicium requireret. *d.* in rebus quæ Dei cultum, & Regiæ suæ Maiestatis obsequium concernebant, maximi momenti. Deinde Rex noster ac Dominus D. Philipp. vocabulo Sanctus, Pater tuus, eo ipso anno quo Monarchiam hanc suscepit regendam ipsum ordinauit, vt illi proponeret subiectos regno Clericos & Religiosos, quos iudicaret in ditionibus suis Prælaturis, Abbatijs, alijsque Ecclesiasticis dignitatibus esse digniores rescribens. *e.* illi super hoc tali auctoritate & satisfactione Episcopi (adhuc Provincialis) quali requirebat illa actio, in qua Maiestas Regia declarabat, se summam exigere prudentiam, & vt ita statueretur ad tutiorem conscientia suæ Regalis exonerationem.

*d. Ep. Tol.*  
*16. 12. Anni*  
*anno 1569.*  
*Ep. in S.*  
*Laurent.*  
*12. Octo.*  
*1596. Ep.*  
*Madrid.*  
*28. Iunij*  
*1598.*

*e. Ep. Ma.*  
*drin. 31.*  
*Octo. 1598.*

*f. Epist. ad*  
*Pont. Ma*  
*drin. 17.*  
*Iunij 1616*

*g. Epist. ad*  
*Pont. 16.*  
*Maij 1622.*

Post hæc ipsum obtulit in Ecclesiæ Barbastrensis dignissimum Præfulem. *f.* non communibus munitum decoratumque Regiæ vitæ testimonijs. Tua quoque Maiestas (quam Deus seruet incolumem) in initio gloriosi sui Regni, gratum habuit placuitque illum ad secundam promouere Ecclesiæ cathedram quam habuit ex eadem prærogatiuarum eius notitia, nec minori earumdem æstimatione. *g.* Ob cuius Regalis amplitudinem, & singularem affectus pietatem, qua Maiestas tua, viro- rum insignium celebrat colitque memoriam, speramus eundem suæ Sanctitati proponendum, quatenus examini subijciat & extollat heroicas huius serui Dei virtutes, atque eorum

cathalo-



cathalogo alboque inscribat, qui in caelis Deo gloria praeferuntur eminentiori: quandoquidem nunc Romae iuridici instituti sint processus vitae inculpabilis coram Ordinarijs Albarrazini, Terueli, Valentiae, & Caesar-augustae, ut à sua Beatitudine sacri illius corporis impetrent elevationem.

Nec minorem libri eius quam vita moreque merentur venerationem: imo & haec & illi manus sibi porrigunt inuicem, & dignam conciliant mundo commendationem. Insuper si T. M. eorum dignetur intendere lectioni, honorem illis augebit eminentiorem, & venerationem longe digniorem. Doctrina, quam continent, ea est quam T. M. in hoc hominem genere facit maximi, cum eorum admiratione, quibus perspicuum est, quod inter plurimas easque grauissimas maxime Monarchiae occupationes, ut quoddam assumat leuamentum SS. litterarum lectionem: utpote medium quod iam dudum Regibus proposuit Salomon Regum sapientissimus *b. ad h. 3. p. 6. 1.* diadematum eorum regnorumque infallibile stabilimentum. In hisce libris inueniet T. M. Sacram expositam Scripturam luce interpretationum SS. Patrum & Doctorum, quorum spiritum, vera dico, Deus v. r. bis indidit huius Episcopi, eorumque communicauit intellectum & iudicium. Tale de illo tulit testimonium S. P. Bertrandus eius in docendo Magister, cum eum haberet discipulum in nouitiatu FF. Praedicatorum Valentiae, quando hoc testatus est *i. Acta. Capit. Generali. Bo. ma anno 1629.* quod Deus caelestibus illum donis Spiritus S. scientiae & intellectus affatim cumulasset, quod si vaticinium fuerit in hisce eius operibus videbimus & gaudebimus esse completum. V. Dominus omnipotens Maiestatem saluam custodiat, pro Christiani orbis mundi que totius necessitate. Caesar-augustae, Sexta Ianuarij. Anno reparate salutis humanae 1636.

D. Michael Baptista  
de Lanuza

CEN